

Atque eo tempore cœpit quinta & ultima Pontificum ætas, quam primatus revelati nominavi, quandoquidem, & fraudes, et superstitiones Pontificia hoc postremo seculo revelata sunt adeò evidenter; ut à Romana Ecclesia, tanquam ipsius Antichristi synagoga secessionem fecerint plurimi, suisq; honor Deo, Ecclesie veritas, conscientis tranquillitas, & debita Regibus potestas, successum largiente Altissimo, feliciter restituta sit, & nos cum Angelo Apocalyptico ex cap. 14. v. 8. cap. 18. v. 2. & 20. letum istud Epinicion ingeminare queamus: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi, & custodia omnis volueris immundæ & odibilis. Exulta super eam cœlum, & sancti Apostoli, & Prophetæ, quoniam judicavit Deus iudicium vestrum de illâ.

CCCXX.

Ex hac igitur historicâ narratione satis apparet, quomodo Pontificia Monarchia, vel Tyrannis in Ecclesiam sit introducta; quàm exigua habuerit initia, quàm tarda incrementa; quibus modis fuerit ampliata; & quàm subdolè, quibusq; fraudibus & diabolicis artibus fuerit perfecta & consummata: Id quod non duntaxat ad Jesuiticarum stropharum refutationem, sed veritatis etiam confirmationem multùm facere existimo, siquidem primis Papatus causis cognitis, nec antiquitate offendi, nec de Ecclesie Romanæ apostasiâ dubitare, nec à veritatis agnitione & confessione ulterius facilè dimoveri poterimus.

Questio Octava.

Num universalis Ecclesie gubernatio vel Pontifici Romano permitti, vel alii cuiquam, jure humano, deferri possit aut debeat?

CCCXXI.

Hactenus evidenter demonstratum fuit, quòd jure divino œcumenicus Episcopatus & primatus, super omnes Ecclesias, nulli concedi debeat, ideoq; Romani Episcopi præter jus & fas eundem rapuerint, & per multa secula malo titulo possederint: Nunc ulterius quaritur, Annon jure hu-

N 3

mano